

1791.



Kern 3487

(1-12)

344



Ken 2487

ANALI
A D
HISTORIAM
PATHOLO

QVA
CONSENSV GRATIOSAE F
PRAES
IO. CHRISTI
MEDIC. ET CHIRVRG. D
PVBL. ORDIN. DIRECT
REGII CL
CIVITATIS HALLE

PR
GRADV DOCTOR
D. XII. NOVEMBR.

DEFEN
A V C
ERN. CHRIST. M
BRIGA - S I

HAL
TYPIS VIDVAI

ANALECTA (2)
A D
HISTORIAM CORDIS
PATHOLOGICAM

QVAE
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE,
PRAESIDE
IO. CHRISTIANO REIL,
MEDIC. ET CHIRVRG. DOCT. THERAP. PROF.
PVBL. ORDIN. DIRECT. INSTIT. MEDICI
REGII CLINICI,
CIVITATIS HALLENSIS PHYSICO,
PRO
GRADV DOCTORIS MEDICINAE
D. XII. NOVEMBR. c1o 1o cclxxxx.

DEFENDET
A V C T O R
ERN. CHRIST. MART. ANDER
BRIGA - SILESIVS.

HALAE,
TYPIS VIDVAE TRAMPII.

V I R O
ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO,
D O M I N O
ERNESTO THEOPHILO
GLAVNIG,

MEDICINAE DOCT. REG. BORVSS. A CONSIL. AVLIC.
REGIORVM EXERCITVVM PROTOMEDICO,
PHYSICO CIRCVLI BRIGENSIS,

PATRONO AC FAVTORI

PIE DEVENERANDO

S.



VIRG

I LIBRI, EXCELSISSIMO

DOMINO

FRANCISCO FERDINANDO

CAESARE

REX BOHEMIAE, SILESIAE, MORAVIAE

ARCHIDUCIS AUSTRIAE, STYRIAE, CARINTHIAE

ET CATHOLICAE APPOSTOLICAE SACRAE

PATRONO AC TUTORI

DEI IMPERII



§. 1.

Mea haudquaquam egere demonstratione videtur necessitas summa, adumbrandi ea capita morborum historiae & illustrandi ex sectionibus cadaverum, quae quidem frequentius ceteris occurrunt, & maioris momenti in pathologica doctrina sunt: cum omnes historiae corporis humani pathologicae auctores, imo omnes fere practici in eo conveniant. Deterreri forsan ab instituto meo deberem egregiis laboribus, quibus jam antea circa hoc genus morborum claruerunt varii viri, doctrina & eruditione me quidem longe superiores, laudeque mea haudquaquam egentes. Verum enim vero patebit cuicumque, qui obiter tantum inspexerit meam opellam, me & aliam viam incesse ac ii, qui eandem jam ingressi sunt, & praesertim affectus cordis alio modo tractasse.

§. 2.

Primo quidem putavi necessarium esse, ut de viribus cordis, quae nuperis temporibus curatius investigantur, & de earundem vitiis aliquid praefarer. Deinde vero trans eam ad praeternaturalem cordis, pericardii & vasorum maiorum cordi vicinorum structuram, & praecipue ex re-
centio-

centioribus auctoribus ea suggeram, quae observationes docuerunt, ut melius dignoscantur cordis morbi.

§. 3.

Quoniam MICH. ALBERTI, stahliani systematis quondam promotor haud vulgaris, de immunitate cordis a morbis, peculiarem scripserit tractatum, quo monstrare sibi sumserat, cordi esse impertitum quasi privilegium, ne a morbis afficiatur, cuiuscunque tamen nostrorum temporum tyroni artis medicae elucet, quot & quam diris affectibus laborare possit hoc organum princeps quasi corporis, maximeque vitale. — Simul autem dolendum, quod fere nulli alii corporis humani affectus tantopere lateant, atque tam parum manifestis signis sese dignoscendos praebent, quam vitia cordis; quod insuper etiam cordis morbi cum multis aliis quam plurima habeant signa communia. Inter innumera, quae hic citare possem exempla, maxime placet id, quod de cordis palpitatione desumitur. Observatur enim haec tum a variis vitiis organicis cordis & aortae, ex aortae angustia, ex concreto corde cum pericardio: deinde vero pendet saepius a venenis e. g. colchici seminibus, narcoticis, inebriantibus; tum ab infarctibus atrabiliaris, ab arthritide retrograda aut anomala, cuius letalem eventum saepius praesagit, a scorbutica diathesi, ubi quoque non raro mortem annunciat; a sola transpirationis suppressione, a plethora, a primarum viarum fordibus, praecipue verminosis; a debilitate denique, maxime ea, quae veneris

exer-

exercitia sequi solet. Legi merentur, quae de hoc affectu signavit EVERH. DE LILLE *), ubi quoque varia enumerantur signa, quibus discernitur hic affectus a cordis ipsius vitiiis organicis pendens, ab illo casu, ubi alia a corde aliena vitia supponit. Verum tamen si manifesta etiam fuerint signa, quibus palpitationis cordis aut aliorum affectuum causae vel idiopathicae vel symptomatae cerni possunt, ipsa tamen cordis vitia adeo parum propriis & characteristicis signis a se invicem discernuntur, ut nequeamus hic ad claram aliquam aut distinctam cognitionem pervenire. Saepius enim aneurysmata cordis iisdem symptomatibus junguntur, quibus ossificationes vasorum cordi vicinorum, vel hydrops pericardii, vel calculi in cordis substantia: ideoque fugit nos auxilium ad rite distinguendos hos affectus.

§. 4.

Cum SENACUS, magni nominis vir, per totam vitam fere in eo labore defudaverit ut passiones cordis ordine suo traderet: delirare forsitan viderer, si aliquid novi de signis atque symptomatibus characteristicis horum affectuum signare mihi sumerem: neque meum est, nisi pauca ex recentioribus scriptoribus adire ad antecessorum observata, aliaque methodo tractare haec vitia, ac illa, qua tot tantique viri claruerunt.

I. DE

*) De palpitatione cordis & de arteriarum pulsus intermissione, 8. Zwoell. 1755.

I. DE VIRIBUS CORDIS.

§. 5.

Structura cordis a summo artifice adeo sapienter constituta, ut aequabilis ac facilis fieri possit humorum paratorum in pulmonibus transitus in totum systema arteriosum, & textura eiusdem, fibrarum fasciculis confiata, miro modo contortis, certis quibusdam stratorum ordinibus sibi invicem nexis, & crassiori carneaque praeditis indole, haudquaquam videntur idoneae esse solae ut cordis perpetuus atque aequabilis motus inde declarari possit. — Rhythmus quidem continuus in contractionis dilatationisque vicissitudine redire omnino videtur ad singularem plane atque mirandam illam texturam ac structuram: nisi vero causa motus illius perpetui accedat, tantum abest ut lucis plus inde affulgeat, ut potius tenebris haud facile fugandis in re tanti argumenti obambulemus.

§. 6.

Hinc jam a GLISSONII inde temporibus propria quaedam vis fibris muscularibus insita, quam auctor laudatus nomine *irritabilitatis* donaverat, in scenam ducebatur, ut eo modo aliquid de motu stimulum sequente exhiberi valeret. Sed apperceptionem quoque stimuli (*Empfindungsfähigkeit*) in eadem fibra musculari cum HALLERO nuperi plures scriptores invenerunt, quam cum irritabilitate illa, proprie sic dicta, iunctim sumtam crediderunt motus cordis sufficientem causam. In ipso enim corde maximam totius
corpo-

corporis irritabilitatem assumerunt, qua perpetuus ille ac continuus motus cordis perficiatur. Alii vero simul ad vim nerveam respexerunt, cum viderent, ligationem ramorum nervi sympathici magni, praesertim eorum, qui a ganglio supremo cervicali originem ducunt & ad plexum cardiacum formandum sua faciunt, suppressere cordis motum, cum praeterea observarent, cordis motum non parum augeri dum stimulus in pari vago applicetur.

Nos vero mittamus has aliasve hypothesen, observationibus & factis per se quidem veris, sed non absque praedicio institutis extructas: profiteamur, neque structura, neque textura cordis, neque accessu nervorum, neque irritabilitate cordis summa posse naturam cordis rite explicari, nec ex hoc labyrintho refugium patere, nisi adsumatur propria *vis cordis vitalis*, ad qualitates occultas omnino referenda, neque tamen adeo occulta, ut de ea nil praedicare possimus. Ope vis nerveae & irritabilitatis munera sua perficere cor videtur, neque agere potest sine earundem virium auxilio; labefactari autem, dum una alterave earum debilitatur.

§. 7.

Laeduntur vires cordis iis praecipue causis, quibus irritabilitas vel vis nervea aut minuitur, sive destruitur, aut augetur vel excedit.

Frequen-

Frequentior morbus est, dum stimulo allato irritabilitas cordis magis laceffitur, & vis vitalis eo vegetius operatur, hinc sanguinem eo vehementius propellit. Stimulus, de quo loquimur, plerumque in sanguine ipso reperitur, principiis acrioribus vel phlogisticis praedito. Saepius quoque in remotioribus corporis membris adest, & per nervorum tantum commercium ad cordis organum propagatur. Cum enim hoc sit princeps corporis viscus, artum quoque connubium intercedere observatur varia corporis viscera & cordis organum, quod connubium ope nervi sympathici magni, ex quo cor nervos suos obtinet, & ope paris vagi, quod quoque impertit ramos nerveos visceri nostro, perficitur.

§. 8.

Stimulo illo, vel in cor ipsum immediate, vel mediate in nervos cum plexu cardiaco cohaerentes agente, cordis actio systolica & diastolica itaque excitatur, & propagatur in vasorum maiorum cordi vicinorum functiones. Hinc primum arteriae pulmonales iisdem crebris contractionis & dilatationis vicissitudinibus laceffuntur. Respiratio fit frequentior & brevior, dum sanguis phlogisticus, vel principiis acrioribus praeditus, solito crebrius exhalationem principiorum suorum noxiorum caussatur, vel stimulus remotus, in plexum cardiacum agens, actionem suam quoque in plexum pulmonalem propagat. Deinde vero etiam arteria aorta cum suis innumeris per totum corpus sparsis rami-

ramificationibus iisdem frequentioribus systoles & diastoles vicissitudinibus afficitur, unde pulsus fortior, crebrior, durior, uno verbo, quem inflammatorium nuncupamus.

§. 9.

Quanta quanta sit cordis potestas in toto corpore speciminibus sat luculentis manifestata, recentiorum tamen commentis, ratiociniis & observationibus edoceri, concedere nequimus, cordis imperium in totum, quam late patet, arteriosum systema extendi, cum arteriis quoque suae sint vires vitales, suae functiones, quae quidem in minimis earum ramificationibus haud pendeant a cordis potestate, eo quidem modo, ut sanguinem per arterias tantum propelli assumamus cordis vi aut actione. Impetus enim, quo irruit sanguis in arterias maiores, omnino easdem distendit, hinc diastole arteriarum maiorum utique a cordis imperio immediate derivari posse statuimus: Systolen vero, praesertim in statu pathologico, ab irritabilitate & vi vitali propria arteriarum originem ducere credimus *): qua obstacula remouentur, quae impediunt virium sanguinem propellentium, liberam actionem.

Manifesta est actio systematis arteriosi, haudquaquam pendens a cordis imperio, in minimis arteriis: hae enim propria vi praeditae, oscillatorium motum continuum exercent, cuius ope pulsatio in minimis arteriis, dum cor stimulo

*) CHR. KRAMP de vi vitali arteriar. 8. Argent. 1786.

mulo laeſſitur, & ipſa inflammationis ſymptomata declarantur *). Non quidem ignoramus, quodam modo omnino cohaerere hanc facultatem oſcillatoriam cum cordis actione; agit tamen non ob impulſum virium cordis, ſed ex propria ſua vi, ſicut modo citati auctores ſat luculenter monſtrarunt.

§. 10.

A ſpiſſitudine ſanguinis & obſtructione cordis vires augeri, contenderunt auctores, qui leges hydraulicas applicare ad oeconomiam animaleſtuduerunt, falſa HARVAEANI ſystematis explicatione ſeduc̄ti. Cum jam ſatis ſuperque earum opinionem refutaverit SENACUS **), hiſ ſuperſedemus, id tantum monituri, quod a congeſto omnino ſanguine cordis vires augeri poſſint. In ſpiſſitudine enim humorum & obſtructione ni aſſumatur ſtimulus praedominans, ne ullo quidem modo cordis motum inde auctum explicare valemus; in congeſtione autem ſtimulum quemdam non percipere nequimus. Hinc eo maior, celerior, diuturnior ſyſtole cordis animadvertitur, quo copioſius cor ſanguine repletur. In peripneumonia pulſus robor & violentia eſt in ratione ſanguinis, qui per liberam partem

*) De hiſ legiſſe iuvabit VAN DEN BOSCH über das Muskelvermögen der Haargefäſchen. 8. Münſter. 1786. FABRE's Unterſuchungen aus der theoretifchen A. W. p. 70 ſq. Anhang von PLATNER p. 578. Leipz. 1788.

***) Traité du Coeur. p. II. (edit. 1777.)

tem pulmonis transit, & cum ea copia aut languet, aut incitatur *). Hinc cordis palpitationes a plethora, quando, brachiis amputatis, diminuta adeo arteriarum capacitate, visceribus interim sanis, & aequè copioso sanguine parato, cor in angustiora vasa acrius se deplet **).

§. II.

Praeterire nequeo effectus frequentissimos auctae vis cordis, puto *febrim & inflammationem*. Illa omnino supponit auctam hanc vim vitalem: est enim ut Galli recentioris verbis utar ***) satis commodis, febris nihil aliud, quam automaticum vitae conamen, impetratum a duabus animalis oeconomiae potestatibus, sensilitate nimirum & irritabilitate, consideratis in statu sano, sicut & in pathologico, impetratum occasione stimuli eas potentias excitantis ad reagendum, & cuius beneficio ille idem stimulus destruitur, expellaturque, si fieri possit, sicque per ipsammet vitam, vitae restituatur tranquillitas. CHRIST. KRAMPIUS †) quidem in theoria febris ad rationem obstaculi, quod impedit liberum sanguinis circulum, & ad arteriarum vim vitalem respicit, nemo autem tam distinctè, meo quidem

*) WHYTT on vital motions. p. 89. 70. (8. Edimb. 1751).

**) RAIM. VIEUSSENS Traité des liqueurs. pag 242. (4. Toulous. 1715).

***) N. F. ROUGNON Considerationes pathologico-femiot. T. I. c. 18. art. I, p. 218. (4. 1786).

†) l. c. pag. 60.

quidem iudicio, ac clare expressit febris theoriam, quam CHRIST. WILH. IUNCKERUS *), qui febrem definit tanquam laesam partium sanguinem velocius moventium, vis insitae & nerveae affinitatem. Dum enim cor, vasa sanguifera irritabilitate praedita, & nervi, qui harum partium irritabilem vim tuentur, corripuntur, atque haec virium laesa affinitas non solum dictas partes nervosas & musculares prius quam alias, sed etiam lentius afficit, quam quod subito & omnino tolli inde queat virium dicta relatio, ilico oriri febrem, ibidem auctor professus est. Eandem quidem opinionem jam antea tuebantur praeter ALB. THAERIUM **), CHRIST. FRIED. ELSNERUS ***) cum aliis, neque tamen adeo distincte eandem pronuncia-verunt. Variam ceteroquin accelerationis legem per febres cor experiri, egregie monuit BRENDelius †). Fortassis aliam continuae febres, aliam intermittentes habent; & utrique discrimina rursus multa sunt.

Ex aucta cordis actione sequitur, vires corporis, in organo maxime vitali adeo vehementer agentes, vegete quoque operari in ceteris corporis partibus; hinc quoque calor ex vivida actione cordis & partium cum eodem viscere cohaeren-

*) *Conspect. pathol. medicin. T. I. p. 101. (8. Hall. 1789.)*

**) *De actione syst. nervos. in febrib. 1774. Goett.*

***) *Beyträge zur Fieberlehre. 1782. Königsb.*

†) *Comment. de pulsu febrib. Opp. T. I. pag. 183.*

haerentium declaratur. Ex frictione enim non oriri, cum fluida rapidissimo cursu non caleant, cum in ranis aliisque animalibus eadem sit pulsus velocitas, cum celeritas motus sanguinis nunquam sit in ratione constanti cum caloris gradu, cum e. g. a 70. ad 130. pulsuum numerus in febre ascendat, caloris gradus autem a 96. ad 108. FAHRENH*), cum in variis febribus, velut in intermittentibus, pulsuum numerus increseat aestu imminuto, e. v. v. **), egregie jam demonstravit IO. SHEBBEARE ***).

Nuperi plures, in calore praesertim febrili explicando, magis magisque respexerunt ad virium solam aëritatem & praesertim cordis actionem praeter naturam auctam. Tali modo ERN. PLATNERUS †) caloris sensationem nil aliud dixit, nisi sensationem aëritatis maioris & vividioris, quae (sensatio) vero haudquaquam dependet ab actuali calore corporis, & quae in febrili statu, manifesto transit in aestum febrilem ++). Ideoque redire videtur calor adauctus corporis ad relativam aliquam sensationem aëritatis systematis nervosi & arteriosi praeter naturam adauctae ad propellendam materiem nocivam, quae febrim excitaverat †††).

§. 12.

*) HAEN Rat. med. T. II. p. 158.

**) Ibid. p. 163.

***) Practice of physic founded on principles in physiology. p. 59. (8. Lond. 1755.)

†) Neue Anthropologie. §. 742. 743. p. 310.

††) Ibid. §. 1226. 1227. p. 561.

†††) Legisse de his non poenitebit Fr. Wilh. VON HOVEN Versuch über das Wechselfieber. p. 302 sq.



§. 12.

Inflammatio quidem ex aucto cordis motu & impulsu sanguinis in ea loca, quae antea non replebat, a plerisque recentiorum derivatur. Cuncta quoque huius affectus symptomata docent, sanguinis motum esse omnino acceleratum; quem citiorem vehementioremque impetum & a cordis potestate & a minimorum vasculorum oscillatione adauctis, merito derivare licet. Stimulus systemati sanguifero illatus incitat motum cordis, incitat quoque motum vasorum minimorum, haud quidem dependentem a motu organi principis, sed una tamen atque simul cum illo adauctum *).

Ab ipso HALLERO **) jam dudum refutata BOERHAAVII theoria de infarctu sanguinis, causa inflammationis, alii cedere omnino debet, quae tamen simul respicit ad motum cordis adauctum & ad oscillationem arteriarum minimarum incitatum. Ex hac enim omnia, saltem pleraque huius affectus symptomata egregie manifestantur, & ipsa *crusta* sic dicta *phlogistica* tam parum supponit spissitudinem sanguinis aut infarctum, ut potius tenuiorem & acriorem sanguinis indolem inde eruere possis.

§. 13.

Cordis vis diminuitur omnibus iis rebus, quae valent irritabilem eius naturam & vim nerveam ab influxu systematis

*) BURSERIUS DE KANILFELD Instit. medic. pract. T. I. p. 30 sq.

**) Element. physiol. T. I. p. 114 sq. Opusc. pathol. obs. 43.

matis nervosi pendentem debilitare. His enim duabus viri-
 bus componi vim vitalem huius organi supra, (§. 6.) statui-
 mus. Cum naturalis stimulus cordis sit sanguis, liquet,
 subtracto sanguine cordis vires detrahi, ut a phlebotomia*),
 a vulnere cum sanguinis jactura. Hanc enim praesertim,
 dum duae tertiae partes jam amissae sunt, absque morte
 haud fieri posse, testantur ZACUTUS LUSITANUS**),
 STEPH. HALESIVS***). Quae de defectu aeris, tan-
 quam stimuli naturalis, locutus est I. P. LEITERUS †), ad
 sanguinem quoque redire mihi videntur, qui omnino caret
 naturali stimulo, dum deest aeris dephlogisticati copia ido-
 nea ex atmosphaera in sanguinem penetrantis.

Deinde vero id quoque vim cordis insigniter debilitat,
 quidquid diuturnam producit contractionem & violentam
 dilatationem eiusdem organi. Animi enim pathemata
 agunt ita, ut congeratur sanguinis copia in cor, inde vero
 dilatatio vehementior, momentanea paralysis cordis, adeo-
 que saepius mors ††). Haec quidem lex quoque de omni-
 bus

*) *Franc. CITESIVS* de tempestivo phlebotomiae &
 purgationis usu. Collect. opusc. p. 22. 4. Paris. 1639.

**) *De prax med. mirand. Lib. III* obs. 55-57. p. 109.
 obs. 143. p. 141. (Vol. II. Opp. Lugd. 1649.)

***) *Statical essays contain. Haemastatics.* p. 16. (ed.
 Lond. 1733. 8.)

†) *De asphyxia aquis submerforum diff.* Argent. 1785.

††) *Fel. FONTANA* ricerche filosofiche sopra la fisica
 animale. p. 397.

bus aliis musculosis partibus valere videtur; uterus quidem musculosis fibris omnino instructus, graviditate valde expanditur: haud sequitur vero irritabilitatis huius organi suppressio, cum expansio fiat non vehementer sed paulatim ac gradatim, simul quoque telae cellulosae elasticitas cedit expansioni huius organi mollioris.

§. 14.

Aboletur cordis vis iis quoque rebus, quae tantopere excitant cordis actionem, ut non nisi debilitas insequi possit. Aeterna enim lex esse videtur oeconomiae nostrae animalis, quod actionem fortiolem sequatur torpor, vis cuiusdam excitationem suppressio eiusdem. Sic agit *electricus torrens* in cordis potestatem, suscitatur vehementer & inopinatum actionem virium, quam sequitur deinde relaxatio ac debilitas, imo syncope & mors ipsa, praecedentibus convulsionibus, quae indicant actionem vere excitatam. Sublato virium omnium exercitio, humores quoque decomponuntur, hinc putredo observabatur, tanquam sequela actionis torrentis electrici *). Eodem modo agere omnino videtur *frigus* vehemens, quod ob stimulum, quem imperit systemati sanguifero, & principi huius organo, validiorem, attrahit quoque debilitatem, eo magis irreparabilem, quo vehementior fuerit irritatio **). Sic agere videtur nimia plenitudo, quae ad certum tantum gradum cordis actio-

*) FONTANA l. c.

***) Ibid.

actionem excitare valet, deinde vero relaxat eandem ac debilitat, ut facpius mors subsequatur subitanea. Rigor quoque tonicus, a nimia pendens stimuli actione, cordis vim vitalem delet.

Sic quoque agit *opium* in cordis vim: irritationem, quam producit, fortiorem sequitur debilitas & atonia imo quandoque mors ipsa. *Aloyf. Paull. TRABUCCHI* *), *Jo. B. CARMINATI* **), *WIRTENSOHN* ***), *FEL. FONTANA* †) alique in plurimis experimentis, ab *opio* cordis actionem viderunt initio augeri, deinde vero eo magis debilitari, quo magis incitaretur. Eodem modo delere vim irritabilem cordis virus viperarum, aquam laurocerasi, aerem phlogificatum, sulphuris vaporem, & nucem vomicam, varii auctores observationibus suis clare demonstrarunt ††).

§. 15.

Egregium documentum providentiae summae, qua nostrum corpus summus artifex extruxit, id esse videtur, quod, amissa semel cordis potestas, vel penitus destructa, ut mors vera adesse videatur, (in eo statu quem Anglus

B 2

qui-

*) De Mechanismo & usu respirationis. p. 26. (Vien. 1768.)

**) De animi in mephit. interitu. p. 134 sq.

***) *Opium vires fibrarum cordis debilitare.* 1774. Monast.

†) l. c. p. 400.

††) *FONTANA* l. c. *Stralsund. Magazin* I. 170.



quidam *) nostris temporibus *Melanaema* nuncupare sibi
 sumfit) omnino iterum possit restitui. Potentia i eo agendi
 videtur conservari posse in corde, absque specimine edito,
 per plures horas, imo dies. Legere existant plura eius-
 modi exempla apud *J. J. BRUHIERIUM* **), *J. P.*
BRINCKMANNUM ***), *E. F. STUVIUM* †) aliosque.

Dum in his casibus apparentia mortis tollitur, pri-
 mum redeuntis vitae specimen est motus cordis restitutus,
 ut adeo primam etiam actionem exercere videatur.

§. 16.

Vitia demum cordi proxima, quae huius organi actio-
 nem debilitare possunt, innumera fere sunt. Quamvis
 quoque diversa videantur, actio tamen semper eadem ob-
 servatur ad tollendam cordis potestatem. Polyposa cordis
 ventriculorum concrementa, vulnera cordis aut vasorum
 cordi vicinorum, hydrops pericardii, concretio cordis cum
 pericardio aliaque varia vitia organica syncopem periodicam
 vel continuam produxerunt, cuius quidem causa tantum
 post mortem erui poterat.

II. DE

*) *GOODWYN* connexion of life with respiration,
 p. 178. (8. Lond. 1788.)

***) *Abhandl. von der Ungewissheit der Kennzeichen des*
Todes. 8. Leipzig 1754.

****) *Beweis der Möglichkeit, daß einige Leute können*
lebendig begraben werden. 1772. Leipzig.

†) *Von dem großen Unglück einer zu frühzeitigen*
Beerdigung. 1785 Leipzig.

II. DE TEXTURA ET STRUCTURA CORDIS.

§. 17.

Textura cordis, plane unica in corpore animali longaque aliena a vulgari musculorum habitu: carnea, compacta magnopere & stricta, constituitur fasciculis fibrarum strictarum, oblique versus apicem descendentium, ramos quandoque referentium, stratis pluribus se invicem decussantium, quorum quae in medio posita sunt, transverse, externa vero & interna recta descendencia animadvertuntur. Acute autem necluntur fibrarum fasciculi in septo utriusque cavitatis, ad basin ventriculorum cincti conspiciuntur quatuor filis cartilagineis, quibus niti videtur dura ventriculorum structura. In planiori facie cordis paucae observantur, eaeque tenuiores fibrillae. Ceterum membrana glabra compacta hae fibrae extus cinguntur: perreptantur insuper nervorum molliorum non minori, insigni autem vasorum sanguiferorum & lymphaticorum caterva, quorum illa ex valis coronariis originem ducunt.

§. 18.

A. *Vulneribus* laeditur nonnunquam cordis textura, de quorum varietate legere licet medicinae forensis scriptores. — De iisdem vulneribus *Benj. Bellius* nuper professus fuit, nunquam non esse letalia, quod jam olim *Hippocrates* *), eiusque commentator *Galenus* **) edixe-

*) Aph. VI. 18.

**) Comment. in h. l.

edixerunt; hic quidem eo modo, ut maxime letalia pronuntiaret ea vulnera, quae cordis ventriculum sinistrum penetrant, minus periculosa vero, quae in parietibus terminantur. Omnino quoque, si ad insigne cordis officium vitale respicimus, repentinam mortem vulnera cordis subito sequi, haud miramur. Quodsi haec subitanea mors non pedissequa statim fuerit vulnerum cordis, nonne haemorrhagiae necem afferre debent, nonne inflammationes & suppuraciones necessario laesiones illas sedantes curationem nostram spernent! Exstant quoque plura exempla apud auctores, de vulneribus cordis non cito mortem afferentibus, quanquam insignia fuerint: haemorrhagia enim non adeo periculosa fuit, aut suppuratio sequebatur. Sic, cui cor percussum erat, ad 200 passus persequitur hostem *), alius vixit quinque horas **), alius dies sex ***), alius quatuordecim †), alius septemdecim ††).

Veram quoque secutam fuisse suppurationem & abscessum post cordis percussionem, testantur *Jac. LUDEENIUS,*
Fabr.

*) *PARAEVS* Chirurg. Lib. X. c. 32. p. 500. (Opp. ed. Guillemaux 1583. fol.)

**) *Misc. nat. curios.* Dec. II. ann. 2. obs. 88.

***) *TVLP.* obs. II. c. 18. *Misc. natur. cur.* Dec. II. ann. 3. obs. 114.

†) *BERTRANDI* Oper. anat. T. III. p. 319.

††) *FANTONI* Obs. anat. med. XVII. p. 123.

Fabr. HILDANUS *), *Greg.* HORSTIUS **). In his enim & pluribus aliis casibus haemorrhagia enormis non sequebatur, ob minorem vulneris amplitudinem, aut ob coagulationem instantaneam sanguinis. In quibusdam vero casibus SENACUS ***) vidit fibras musculares quidem penitus esse percussas, membrana vero internam, firmam ac compactam, resistantiam exhibuisse impulsui sanguinis, aut tumorem aortae vulnus ocludisse. Alio quidem casu contractio fibrarum adeo firmarum eo gradu violenta fieri potest, ut vulneris apertura tegatur, sanguis per aliquod tempus retineatur, talique modo vita demum aliquatenus producatur. Nonnunquam vita per longum tempus superstit, donec alio longe morbo decederet aeger: factum deinde cadaver monstravit cicatricem aut vestigium vulneris praegressi †). Longe periculosiora ceterum observata sunt vulnera ventriculi cordis dextri quam sinistri, periculosiora vulnera substantiae cordis, quam pericardii: haec enim, teste RHODIO ††), & VESLINGIO †††) absque magnis symptomatibus, sanantur.

Signa

*) SENAC. von den Krankheiten des Herzens. p. 259.

**) LIEVTAU D. hist. anat. medica. T. II. p. 188. obs. 608.
(ed. Schlegel. 1787.)

***) I. c. p. 261.

†) ROUGNON considerat. pathol. femiot. T. I. p. 8.
FOTHERGILLS sämtl. Schriften B. II. S. 249.

††) Obs. II. 3. 8.

†††) BARTHOLIN. anatom. p. 750.

Signa maxime communia vulnerum cordis ipsius habentur lipothymiae continuae, anxietas incredibilis, pulsum subita imminutio cum haemorrhagia enormi & sudoribus frigidis. Quandoque quidem febris observatur, nonnunquam vomituritio, non vero constantia sunt symptomata.

§. 19.

B. *Ruptura* patitur quoque textura cordis, quae supponit eam vel externam vel internam violentiam, qua cordis ventriculi, auriculae vel basis magnorum vasorum insigniter extenduntur, ut nulla debita contractio insequi possit. Haec quidem ruptura cordis subitanam attrahit mortem *), dum a plethora praesertim commota aut ab obstaculis insuperabilibus pendet. Post saltationem & oestrum venereum ventriculus dexter subito rumpitur **): in peste cor copia ingesti sanguinis disruptum est. Similia quoque fiunt, quoties sanguis difficiliter ex pulmonibus iter suum expedit, si venae pulmonales obstructae, sinister ventriculus impeditus, aut exitus sanguinis in aortam difficilior, aut demum ipsa aorta callosa ***), ossa aut immeabilis facta est, quod docet etiam, sanguinem, qui in sano ex dextra aure & ventriculo dextro in sinistrum & in aortam iverat, nunc impediri quo minus abeat, indeque in dextra cavitate colli-

gi,

*) MORAND Mém. de l'acad. des Scienc. à Paris 1732. p. 430.

***) *Abrah. VATER* de mortis subitaneae causis. 1723. Viteb.

***) Eph. Vratislav. 1723. p. 560.

gi, eademque dilatare. — Cum valvulae venosae orificii auris sinistrae paene coaluissent, ingens moles cordis ad rupturam usque apparuit *): cum polypus in sinistro ventriculo foret, post anxietates & palpitationes, auricula sinistra rumpitur **). Quum quoque valvulae sinistrae potentius ventriculi conatui resisterent, frictio frequentius carunculas callosas generat, ut in tendinibus calli nascantur, imo aliquando rumpantur. In subito mortuo vidit LANCISIUS ***) dextras & sinistras ruptas esse valvulas venosas; testatur F. HOFFMANNUS †).

Ex observationibus, quas infra ††) allegatas videbis de rupto corde, patet, hunc affectum vel subito & sine praegressis signis oriri, vel annunciari symptomatibus magnae molis cordis aut aneurysmatis, palpitationibus, anxietatibus, pulsus intermissione, doloribus ad sternum aut costas cordi vicinas &c. Sic ex MORGAGNII †††) exemplis

*) HUNAULD Mém. de l'acad. des Scienc. à Paris 1735. p. 19.

**) LANGHANS Act. Helv. T. II. p. 125.

***) De subitan. mort. p. 495.

†) Physiolog. p. 12.

††) SANDIFORT observ. anat. pathol. T. I. 3. 34. — Comm. Lipf. VII. 390. Journ. de Médec. IX. 360. MURRAY de ruptura cordis. Upsal. 1785. PORTAL. Hist. de l'Acad. Scienc. 1787.

†††) De sedib. & causf. morb. ep. XXVII. art. 2. §. 8. — ep. LXIV. art. 15.

plis variis liquet, omnes eas causas producere posse rupturam cordis, quae aneurysma generant. — Confirmatur observatio, quod multo frequentius ventriculus sinister, quam dexter rumpatur, experientia plurimorum auctorum, ipsaque theoria: namque quo compactior, firmiter textura partis, eo minus cedit violentiae in eam agenti, eo facilius itaque rumpitur.

§. 20.

Supprimere hic nequeo observationum mantissam de ruptis vasis maioribus cordi vicinis. — Per omnia quidem experimenta, quae in hunc finem instituit *Clifton* WINTRINGHAM, apparet, arterias duras facile, venas molles aegrius rumpi, sanguini autem eo melius vasa resistere, quae se extendi patiuntur. Credit itaque, molles minusque densas arterias fecisse naturam, quae cordi vicinae primum integrumque impetum ferunt, ut eo minus ab ea unda potentissima violentur, forte etiam, ut minus offescant: utriusque enim vitii periculum eo maius est, quo propius cor sanguinem urget. Huc quoque pertinet observatio, quam primus instituit LANCISIUS *), quod non idem arteriarum robur sit in omnibus hominibus, & reperiantur, quibus ab ipsa origine debiliores, quam aliis fuerint. Eodem modo itaque haereditaria dispositio ad rupturas cordis & arteriarum in quibusdam familiis assumi licet,

*) De aneurysmat, fol. p. 108.

cet, quam ad ossificationes arteriarum in familia Marggravi Badensis animadvertit *J. P. FRANCKIUS* *).

Cum impetus sanguinis in arcum aortae maximus sit, eo loco aortam, vel antea insigniter dilatatam, vel absque ulla dilatatione, ruptam fuisse, non absque exemplis est. In cadavere *GEORGII II.*, regis magnae Britanniae, margo inferior arcus aortae callosus, superior adeo tenuis, ut perspicere potueris: a rupta aorta, haemorrhagia letalis **). Aneurysma aortae ruptum mortem saepius intulit ***): sic quoque arteriae coronariae ruptae leguntur apud *MORGAGNIUM †)* & *LIEUTAUDIUM ††)*. Aorta quoque in progressu varie rupturam passa est, sic splenicae & tibiales †††). Arteriae vero in universum rarius rumpuntur: nec fit nisi longo tritu, quando in aneurysma intumuerunt, sensim debilitatae membranae tandem divelluntur: per flexiones quoque arteriarum rupturae praecaventur.

§. 21.

*) *Observ. med. chirurg. Comment. Societ. Gœtting. Vol. VIII. 1786.*

**) *ZIMMERMANN von der Erfahrung. Lib. III. c. 4. p. 168. (ed. 1787.)*

***) *PYLS Aufsätze und Beobachtung. Th. IV. N. 8. p. 37.*

†) *l. c. ep. XXVIII. art. 28.*

††) *Sepulcret. II. p. 20.*

†††) *WEIZ Auszüge aus Disp. Th. IV. p. 103.*

§. 21.

Venae quidem in homine longe frequentius & ad incredibilem usque magnitudinem intumescunt, neque nisi rarissime rumpuntur, cum dilatationem insigniorem arteriis pati possint. Exstant tamen aliqua exempla venarum cordi vicinarum ruptarum. Sic, dum cor amplissimo aneurysmate distentum, aortae ostium brachii fere capax esset, triglochines valvulae laceratae & vena cava rupta apparuit *). A rupto trunco venae cavae & inde orta effusione sanguinis in pericardium & cavum thoracis mors subitanea; ut & a rupto sacco venarum pulmonalium alter casus legitur: PUDPYLIUM **). Frequenter satis reperit HALLERUS ***) venam cavam in pericardio & alibi diffusisse, quod LANCISIUS †) observatione confirmatur. Ex nixu frequenter rumpi & venam cavam, & alias venas corporis, docent innumera fere exempla auctorum.

§. 22.

C. *Inflammatio* cordis texturam mire alterat, praecipue vero inflammationis sequelae, ut suppuratio, gangraena, fistulae &c.

Museu-

*) *Andr. LAVRENT.* hist. corp. human. anatom. 495.
(8. Lugd. 1605)

***) *Ansätze und Beobachtungen.* Th. IV. N. 7. p. 32.
N. 9. p. 40.

***) *Element. Physiol.* 1. 245.

†) *De subit. mort. add. obs.* §.

Musculi aegrius inflammationem patiuntur *), quam membranosae partes: hinc quoque in corde, cuius textura adeo compacta, carnea est, haud adeo frequenter inflammationem obtingere, praesertim, cum videatur, causam inflammationis multo frequentius ipsam subitanam mortem posse producere, quam inflammationem, dum in cor, organum maxime vitale, agat. Confirmatur autem experientia vulgari, in febribus, praesertim ardentissimis, cor inflammatione omnino affici, cum pus inde in pericardium transfudet, cor ipsam crusta purulenta obductum reperitur **). Epidemicam vidit cordis inflammationem TRE-COURT ***) cum symptomatibus peripneumoniae, sed gravioribus, dyspnoca extrema, dum longius intervallum inter expirationem & inspirationem accederet, siti clamorosa, horrore potus, ita ut ab aquae aspectu tremerent aegri & convellerentur, dolore horrendo in regione cordis, quasi perforatum sit pectus gladio: his addito nauseam contionam, palpitationem cordis enormem, pulsum depresso, oculos lacrimosos, tristes, linguam aridam, nigram. Septimana terminabatur aegritudo. Sectis cadaveribus substantia cordis ulcerata, plurimis concretiones polyposae, pericardium

*) Inflammationem musculi psoae observavit STOLLIVS Rat. med. T. V. p. 417.

***) HALLER element. physiol. T. II. p 128. — SANDIFORT observ. anat. pathol. III. 83. IV. 109. STOLL. aphor. §. 247. p. 80.

****) Journ. de Médec. 1755 Dec. p. 317.

cardium cordi accretum. Non semel secuta est aneurysmaticam cordis distensionem inflammatio *): non raro ipsa aqua in pericardio stagnans arrodit superficiem cordis externam, ut inde oriatur inflammatio **). Nonnunquam comitabatur pneumonicos varios affectus, ut metastatica videretur ***), aut ob contiguitatem pulmonum cum hoc organo, quae quidem passio multo frequentior ceteris omnibus occurrit †). Praeterea quoque scabies retrogressa producit carditidem, cum materies acris, ad hoc viscus usque penetrans, stimulum fortissimum edere debeat.

§. 23.

Suppuratio, exulceratio, abscessus frequentiore inflammationis exitum statuunt, dum lento gradu atque fere insensibili modo progreditur. Nonnunquam vero ex metastatica aliarum partium communiōe oriri, docent observationes SCHROEDERI ††), ut & sine dolore aut aliis symptomatibus totum saepius cor excessum deprehendatur †††).

Ubi

*) MECKEL Mém. de l'acad. des Scienc. à Berl. 1750. p. 163.
AVENBRUGGER inventum novum ex percuss. thor. §. 48.

***) SYLVII de le Boe idea prax. nov. Lib. I. c. 26. p. 75.
Act. Havn. Vol. I. obf. 9.

****) HVXHAM diss. de pleuritide & peripneum. c. 4.
Opp. T. II. p. 225. (ed. Reichel. Leip. 1784.)

†) SENAC. l. c. p. 144. SELLII pyretol. p. 119.

††) Diss. de puris origine absque praegressa inflammat.
p. 489. Opusc. T. II. (ed. Norimb. 1779.)

†††) Guil. HARVAEVS de generat. anim. exercit. 62.

Ubi enim in eiusmodi abscēssibus caro fungosa excreverit, aut ubi cor flaccidum & laxum fuerit, & ubi membranam propriam cum subiectis huic nervis aut minus tensam habuerit, aut ob diuturnam in multa pericardii aqua macerationem amiserit, ibi esse cordis ulcera absque ullo fere doloris sensu, concedit MORGAGNIUS *). Primam, quam idem auctor invenire potuit observationem de abscēssu cordis, signavit Anton. BENIVENIUS **). Praeterea existant varia de ulceribus cordis observata apud Math. CORNACEM ***), Jo. SCHENCKIUM ****), Theoph. BONNETUM †), Friedr. HOFFMANNUM ††), Casp. a REYES †††), Georg. de FRANCKENAU ††††), G. van DOEVEREN *†), Gerh. van SWIETEN **†), Alb. ab HALLER ***†), Petr. SENACUM *††),

MOR.

*) l. c. ep. XXV. 18.

**) De abdit. morb. causs. c. 89.

***) Historia quinq. gestationis in utero. c. 3.

****) Observ. med. Lib. II. p. 448.

†) Sepulcret. Lib. II. Sect. V. obs. 86. 90. Lib. IV. p. 1611.

††) Diff. de exeso corde. Hal. 1697,

†††) Quaest. XXII. p. 378.

††††) Satir. med. VII. p. 138.

*†) Obs. acad. p. 69.

**†) Comment. in Boerhaav. Aphorism. T. I. p. 259.

***†) Element. physiol. T. I. p. 432.

*††) l. c. p. 149 sq.



MORGAGNIUM *) , LIEUTAUDIUM **) , *Fr. Casim. MEDICUM ****) , in Ephemericibus naturae curiosorum †) , in Actis Vratislaviensibus ††) , in Actis medicorum Bero-
linensium †††) . Horum ulcerum non pauca , secuta in-
flammationem partium pectori inclusorum , adeo insignia fue-
runt , ut cor totum , vel ad maximam partem consumptum
conspiceretur . Quaedam quidem signantur ab auctoribus
symptomata , quae peculiaria videntur huic affectui : neque
tamen negandum , pluribus aliis quoque morbis esse com-
munia . Huc pertinet dolor gravativus sub sterno , lipo-
thymiae frequentes , pulsus inaequalis , palpitatio cordis
assidua , quae quoque periodica nonnunquam in his casibus
esse solet . Haec quidem signa inveniuntur etiam in variis
morbis pericardii , velut in hydrope , in vulneribus cordis
& pericardii , in laesionibus mediastini , ut itaque penitus
nos lateat saepius causa eorundem affectuum .

§. 24.

Organum , adeo firmis ac compactis fibris conflatum ,
saepe *flaccidissimum* deprehenditur , & quidem praesertim
in iis morbis , qui debilitatem & laxitatem universalem se-
cum

*) l. c. ep. XXV.

**) l. c. p. 161.

***) Samml. von Beobacht. p. 435.

†) Dec. III. ann. 2. obs. 3. 9. Dec. II. ann. 6. p. 166.

††) T. XXVIII. p. 437.

†††) Dec. I. vol. 7. p. 78.

cum ducunt. Ea ratione HUXHAMUS observavit in scorbuticis & pestilentialibus casibus cordis mollitiem ac flaviditatem *). In febribus putridis saepe ea contrahitur fibrarum muscularium laxitas, quae & in corde observatur **); in hemiplectico ex apoplexia ***), in hydropico, cuius solida omnia flaccecebant †). Alias extaffectu oriebatur, qui convulsionibus stipatus erat, sicut MORGAGNIUS de parturiente muliere narrat ††), mortuam esse ex terrore, quam ipsi iniecerat maritus nuncians puellae partum, cum femina puerum expectasset.

§. 25.

Deinde aliud exstat vitium texturae cordis, quod induratione vel ossificatione cordis constituitur, vel singularum eiusdem partium. — Ossificatio quidem supponit id partium solidarum vitium, quod a *rigiditate*, nimia cohaesione principii terrei & phlogistici pendet, & in senibus decrepitis plerumque animadvertitur. Alioquin vero etiam a morbosa dispositione originem ducere potest, cum melancholici forsitan temperamenti est aeger, aut victum gessit terrefrem,

*) Diff. de angina maligna Opp. T. III. p. 121.

**) MORGAGNI l. c. ep. XXXI. 2. STOLL. rat. med. T. I. 300.

***) MORGAGNI l. c. ep. XI. 13.

†) Ibid. l. c. ep. XXI. 49.

††) l. c. ep. XLVIII. art. 44.

restrem, solidiorem. Eodem itaque modo in familiis quibusdam haereditaria animadvertitur diathesis ad ossificationes vasorum, sic ut *J. P. FRANCKIUS* *) in supra allato exemplo Marggravi Baadensis observavit. Dispositionem eandem, non perfectam ossificationem, legimus signatam in *Miscel. nat. curios. **)* ubi per totam superficiem cordis & quasi callosis obiectum tuberculis. Totum, quasi ex uno osse conflatum cor vidit in cadavere, quod asphyxia diuturna, suffocationis periculo demum expiraverat *MICHAELIS ***)*: eandem ossificationem vidit cum [pulsu intermittente *SIMMONS ****)*, eandem praecipue in vasis coronariis, tum incipientem in cordis substantia *PYLIIUS †)*. Sic septum cordis cartilagineum observavit *COLUMBUS ††)*: os triangulare in ventriculo cordis sinistro Papae Urbani VIII. *BARTHOLINUS †††)*. Universalem quoque ossificationem cordis vidisse se testatur *HALLERUS ††††)*. Quamquam in senibus frequentior eadem ossificatioprehendatur, in juvenibus tamen quoque observatur, ut invenerunt

*) *Observ. med. chirurg. — Comment. Societ. Goetting. Vol. VII. 1786.*

**) *Dec. II. ann. 6. obs. 194.*

**) *Practk. Biblioth. I. 116.*

****) *Medic. Communicat. Vol. I. n. 18.*

†) *Aufsätze und Beobachtung. Th. IV. n. 7. p. 34.*

††) *De re anat. lib. XV. p. 515.*

†††) *Observ. med. Cent. II. hist. 45.*

††††) *Praelect. in Boerhaav. instit. Vol. III. 478. p. 725.*

nerunt PLATERUS *), BONNETUS **) & MORGAGNIUS ***): qui quoque simul testes sunt, derepente hos quidem ex vita decedere, qui os cordis secum gestant.

Adiunt in plerisque casibus ubi cor aut partes eiusdem offeseunt, pulsuum intermissiones, palpitationes cordis, anxietas incredibilis, cum frigore marmareo extremitatum & frequentibus lipothymiis.

Quum maior aortae durities & diameter, tunc sanguinis a corde expulsi maius omnino momentum fit, quam in arteriae pulmonalis ostio, valvulae ostii arteriosi utique frequentius callis, ossibus & effusi glebis sabulosis vitiantur. Sic, ut pauca de his tantum allegem, Nils Rosenius valvulas feminulares osseas, HALLERUS †) easdem partim callosas, partim petrosas cum corde aneurismatico, scirrholas & cartilagineas easdem vidit LANCISIUS ††), ut nulla sanguini via pateret. — Frequentius quoque est vitium, easdem valvulas ad lapideam naturam vergere, quales vidit in phthifico HAGSTROEMIUS †††), & egregiam earum dedit iconem COWPERUS *†).

C 2

Ut

*) Observ. med. Lib. III. p. 626.

**) Sepulcret. Lib. II. sect. 8. obs. 24. p. 832.

***) l. c. ep. XXVII. art. 13.

†) Opuscul. pathol. obs. 18. 51.

††) l. c. p. 300.

†††) De generat. calcul. p. 6.

*†) Tab. anatom. 40. f. 4.

Ut magnis animabus frequens os idque celebre est circa orientem aortam, ita & homini frequenter in principio arteriae pulmonalis & aortae callus, aut cartilago, os aut lapideum concrementum reperitur. Principium aortae frequenter ossescere, potissimum in senibus, hecticis, asthmaticis, phthificis, melancholicis, monent RIOLANUS *), CHESELDENIUS **), & HARVAEUS ***) cum multis aliis.

Non rarum quoque est, deponi sub membrana cordis ossam, aut arenosam & lapideam materiem. In juvene, post maxima pulsus vitia, albos tophos passim ex cordis superficie effloruisse & cum corde pericardium reinxisse, vidit HALLERUS †). Sic quoque arterias cordis proprias, totumque systema vasorum coronariorum petrefactum nonnulli viderunt, ut inde circulus sanguinis minimus fere penitus supprimeretur.

§. 26.

Adeps cor in statu sano cingens, maxime vero circa eius auriculas accumulata, saepe adeo augetur, ut
textura

*) Enchirid. anat. p. 705. (Leid. 1685.)

**) Anatomy of human body. p. 182. (ed. 1741. 8.)

***) Exercit. de motu sanguinis II. p. 219.

†) Opusc. path. obs. 52. De calculis cordis numerosa exempla habes apud HALLERUM Element. physiol. T. I, p. 325. & SENACVM l. c. Cap. 6. p. 187 sq.

textura cordis patiat, ac motus cordis debilitetur, vasa coronaria praecipue premantur, 'circulus sanguinis minimus tollatur, eoque modo repentinae saepe numero morti occasio praebeatur. Sectis cadaveribus fibras cordis in his casibus observamus flaccidas, exsanguas, 'adiposisque particulis interstructas *). Sic vidit MORGAGNIUS **) apoplexia virum decedere, qui praeter cor propinque, taleque, quale descripsimus, pauca monstravit praeter naturam oborta. In cadavere mulieris, quae perpetuis spirandi difficultatibus oedemate pedum & symptomatibus hydrothoracis laboraverat, idem auctor cordis adipem superfluum & polyposa vidit concrementa ***). Pulsus rariorem inaequalitatem in muliere cuius cadaver sectum quoque cor pinguedine gravatum monstrabat, idem animadvertit. Quandoque in ipsa phthisi, cum aegri macie totius corporis confecti viderentur, solum cor adipe copiosa patere observatum est, ipsique aegri suffocatione perire solebant ††).

III. DE

*) In cordibus exiguis multo minorem adipis copiam quam in magnis cordibus semper adesse, monuit WALTERUS (Nouveaux Mém. de l'Acad. roy. de Berlin, Ann. 1785. p. 290.)

**) l. c. ep. III. 20.

***) l. c. ep. XVI. 36.

†) l. c. ep. XXXV. 18.

††) DORTAL apud *Lientaud*. l. c. T. II. p. 181, obs. 466.

III. DE SITV CORDIS.

§. 27.

Cordis situs in statu naturali quidem adeo notus nostris temporibus est, ut rideamus merito inscientiam facultatis Heidelbergensis, quae saeculo elapso acriter de eodem disceptaret *). Observatur tamen nonnunquam inversus cordis situs, ut mucrone suo in dextram partem caveam producat, basis sit in sinistra sede, atque una omnia vasa & abdominis viscera a dextris ad sinistra transferantur **).

Quandoque cordis situs adeo inversus, ut apex sursum inter pulmones respiceret, basis inferiori loco esset †). — His quidem in casibus vasorum cordi vicinorum

*) Ridiculum litem narrat *Conr. Viß. SCHNEIDER* (Diff. de partibus quas vocant principalioribus p. 117. 8. Wittenb. 1643.) Denique experimento in porcello capto evictum est, cor in sinistro latere poni: dimissus ex aula medicus qui contrarie arbitraretur.

**) *Fr. HOFFMANN* cardianastrophe diff. recus. in Opp. suppl. II. Eph. nat. curios. Dec. I. ann. 2. obs. 76. *DAVRETON* descript. du capinet du Roi. T. III. p. 204. *SANDIFORT* observ. anat. pathol. IV. 55. 60. *HALLER* Elem. physiol. 303. *PYLS* Aufsätze und Beobacht. Th. V. N. 5. p. 31. Abhandl. der Joseph. Academie zu Wien. Th. I. p. 273 &c.

†) *J. I. TORREZ* Mém. des Savans, etrang. T. I. p. 140.

cinorum omnino quoque alienus plane a naturali situs & nexus observabatur, sicut in illo cadavere, cuius sectionis meminerunt Wiennenses, ubi arteria pulmonalis sinistra deficiebat, aorta nullo arcu praedita conspiciebatur. Ceterum quoque pulsatio cordis in dextro latere pathognomicum esse signum huius anomaliae animadvertum est. Interea tamen, quorum cadavera adeo anomalum cordis situm exhibebant, integra saepe per totam vitam fruebantur sanitate, neque querebantur de ullo affectu.

Alio modo ex aegritudine & funesto eventu, cordis pulsatio in dextra sede thoracis percepta est, vel cor ex morbo, ut ex destructo pulmone *), in alienam sedem migraverit, vel aneurysma aortae pulsu suo fefellerit **), ut cor ibi sedere crederetur, ubi pulsatio erat. Ita enim pulsatio a sinistro latere ad dextrum migravit, ut intra secundam & tertiam costam, ad unice a sterno distantiam perciperetur, dum in cadavere cor ad perpendiculum positum, quale in brutis est, aortae vero aneurysma adesset †).

§. 28.

*) Journ. des Savans. 1663.

**) LANCIS. de aneurysm. p. 132.

†) Eph. nat. cur. Vol. X. obs. 39.

§. 28.

Hic quidem finem dissertationis faciam, non nescius, restare adhuc plura cordis vitia, eaque maioris momenti, quam quae protuli, recensenda. Sed, cum limites vetent, de magnitudine cordis praeter naturae, de polypis, de pericardii quoque vitiis, ea enumerare, qua jam collegeram, in aliam occasionem eadem servare mihi proposui.

NO 78

PICA





ANALECTA

(2)

A D

HISTORIAM CORDIS PATHOLOGICAM

